


PALAESTRA LATINA



AN. XX - N. 123

MM. SEPTEMBRI et OCTOBRI

AN. MCML.

S U M M A R I U M

Gloria Patris	<i>Mir</i>	3
Homilia Pii PP. XII		4
Antonius M. ^o Claret inter sanctos cooptatus	<i>Sarmiento</i>	7
Stus. Antonius M. ^o Claret, Missionarius	<i>González</i>	10
Stus. Antonius M. ^o Claret, Missionariorum Institutor	<i>Barrau</i>	12
Congregationis Confundatores	<i>Astasio</i>	14
Cordis Mariae signifer	<i>Marcos</i>	17
Post Romanam peregritionem	<i>Mir</i>	18
Carmen auspical	<i>Mauleón</i>	24
De Claretianae Congregationis sanctitate	<i>Hernando</i>	25
De Martyrum Candidatus	<i>Jiménez</i>	29
Sanctus Eucharisticus	<i>Alvarez</i>	32
Claretiana Progenies	<i>García</i>	34
De ministerio docendi	<i>Martinez</i>	36
Dulce ac placidum in Congregatione mori	<i>Aspa</i>	37

=====

Ordinarii ac Superiorum licentia

=====

MODERATOR:

J. M.^o Mir, C. M. F.
 Conde, 2. - Barbastro (Huesca).

ADMINISTRATOR:

V. Codina, C. M. F.
 Lauria, 5. - Barcelona (España).



GLORIA PATRIS

Romae, dum sacris Canonizationis Sancti Antonii M^{ae}. CLARET adstaremus et gloriam Patris summam in terris perspiceremus, elegans carmen nobilissimi poetæ Hispani Prudentii forte venit in mentem: qui quidem —martyrum Hispanorum demiratus tormenta ac gloriosam pro Christo mortem—, nobilissimas Hispaniae urbes —ornatu regio velut matronas incedentes ac sacra spolia seu martyrum ossa in canistris portantes— ante thronum Domini palam procedere effingit.

Quae quidem eximii vatis figura gloriam Patris sollempnissimo illo Canonizationis momento quasi adumbrare nobis visa est. Nam omnes filii Claretiani, et illi qui vita functi erant et cum Patre repromisso caelo perfruebantur, et ii qui in terris degebant, ante gloriam Patris, in Vaticano summo splendore exhibitam, sollempni serie procedere videbantur, et omnia quae pro Deo, pro Corde Ito. Mariae, pro Ecclesia sancta, pro conversione et salute animarum studio et amore summo gesserant, tanquam coronas et sacra tropaea ante aram Sancti Patris jubilantes deferebant.

Et quanquam humana gloria, et ea quae ex litteris oritur, quasi minima quibusdam appareat, est tamen gloria —Patris ac filiorum consortio adeptam—, qua Claretiani, humanis divinisque armis instructi, in proelium procedere debent pro Ecclesia sancta proeliantes.

PALAE^{STRA} igitur LATINA, quae hanc minimam humanam divinam laudem insectatur, Canonizationem Sancti Patris voluit quasi in perenni monumento inscriptam ac posteris memorandam.

Et nos igitur exiguum donum, amoris tamen plenum, ut sacrum ac perpetuum tropaeum ante aram Sancti Patris jubilantes deponimus.

JOS. M.^a MIR, C.M.F.
Moderator

m. augusto decurrente.

Homilia Dni. N. Pii PP. XII in Canonizatione Sancti Antonii M.^{ae} Claret

Venerabiles Fratres, dilecti Filii:

Cum vitam sancti caelitis Antonii Mariae Claret intenta recolimus mente, nescimus utrum magis miremur ejus animi candorem, quem inde a tenera aetate, quasi liliū inter spinas, summa cura summaque diligentia illibatum servavit, an ejus caritatis ardorem, quo compulsus omne genus miseriarum relevari enitebatur, an denique indefatigabilis ejus apostolatus studium, quo die noctuque permotus, et instantibus precibus pro aliorum salute Deo admotis, et itineribus susceptis innumeris, et contionibus divinum spirantibus amorem tantum contulit ad privatos ac publicos evangelico spiritu reformandos mores.

Cum adolescens textoriam artem facitabat, ut sui patris obtemperaret voluntati, ceteris officinae operariis ita christianae virtutis exemplo prae lucebat, ut omnium admirationem commoveret; ac vix dum poterat a fabrilī labore vacare ac conquiescere, ad sacram contugiebat aedem: ibique, vel ad Augusti Sacramenti aram, vel ante Virginis Deiparae imaginem, precando contemplandoque dulcissimas traducebat horas. Divinitus siquidem provisum erat ut, antequam ad altiora proveheretur, opificibus etiam imitanda ederet et praeclara probitatis sanctitatisque specimina.

Post aliquot autem annos, quod in votis semper habuerat, ut nempe se totum Deo manciparet, id, variis superatis difficultatibus, divina opitulante gratia, tandem aliquando efficere potuit. In sacrum suae Dioecesis Seminarium adscitus, sedulo studioseque curavit ut doctrinam alacri cura addisceret, ut statutis disciplinis normis diligentissime obtemperaret, utque potissimum supernis donis animum ornaret suum, ac vividam Jesu Christi imaginem loquendo agendoque in se referret. Itaque feliciter evenit ut, emenso studiorum curriculo, ac sacris insignitus ordinibus, in apertum apostolatus campum strenuus miles prosiliret, non humanis, sed divinis opibus armatus; atque inde a sacerdotalis muneris initio salutare fructus ederet uberrimos. Quo quidem in obeundo sacerdotali munere, hoc sibi peculiari modo proposuit, quod ad suorum temporum necessitatibus occurrendum putabat aptissimum. Cum cerneret nempe, vel ob passim diffusam divinorum praeceptorum ignorantiam, vel ob taedium quoddam caelestium rerum in multorum animum irreptum, christianam languescere pietatem, templa deserere, ac civium mores summo cum detrimento pessumdari, peropportunum iniit consilium sacras suscipiendi expeditiones, quas missiones vocant, ut in variis urbibus, oppidis, pagis per statum dierum spatium contiones ad populum haberet.

Quibus quidem in habendis contionibus, divina, qua fervebat, caritate ejus

vultus radiabatur; ac tam vehemens ex ore, ex imo pectore erumpebat eloquium, ut adstantes non raro permoveret ad lacrimas, et —quod potius est— ad melioris sanctiorisque vitae propositum sincero ex animo eliciendum. Itaque factum est ut salutaris quaedam magis quam emendatio, renovatio morum haberetur, quam ipse, mirandis signis Deo donante patratis, efficaciter confirmabat.

Cum autem ejus sanctitatis fama latius cotidie propagaretur, dignus habitus est, cui Archiepiscopale munus committeretur, in Cubana insula exercendum. Qua in insula, quamvis gravissimas experiretur difficultates perpetuoque subsequente impedimenta, non laboribus tamen asperrimis, non periculis omne genus deterritis, quod in Hispania bonus Christi miles fecerat, id optimus atque intrepidus Pastor peragere enisus est.

In patriam subinde revocatus, cum a sacris Reginae confessionibus esset, ejusque consiliarium ageret, nihil aliud pensi habuit, quam ut augustae poenitentis saluti aptiore quo posset modo prospiceret, Ecclesiae jura defenderet, catholicae religionis profectum omni ope promoveret.

Quod autem saluberrimum propositum jam diu inierat, condendi nempe Missionarium Sodalitatem, Immaculato Deiparae Virginis Cordi dicendam, id tamen non modo ad effectum deducere potuit, sed ita confirmare ac sapientissimis munire legibus, ut per Hispaniam, per ceteras fere omnes Europae nationes, ac per longinquas etiam Americae, Africae, Asiae regiones decursu temporis felici cum successu eadem Sodalitas propagaretur.

Haec sunt, venerabiles Fratres ac dilecti Filii, praecipua Sancti hujus Caecilii lineamenta ejusque incepta presse breviterque descripta. Ex iisdem luculenter enitet quam excelsa virtute, quam impenso Apostolatus studio S. Antonius Maria Claret enituerit, et quam ubera ediderit in proximorum salutem beneficia. In eum si opifices, si sacerdotes, si Episcopi, si universus denique christianus populus intueantur, habent profecto omnes cur praeclaris ejus exemplis permoveantur, atque ad illam, pro statu cujusque suo, christianam assequendam perfectionem excitentur, ex qua solummodo perturbatis hisce rerum condicionibus opportuna remedia oriri possunt, ac meliora tempora adduci.

Id impetret a divino Redemptore ab ejusque Immaculata Matre Sanctus novissimus; id esto solemnibus hujus celebrationis optatissimus fructus. Amen.





Nonne paternum cernitis. lectores. sincerumque amorem quo Summus Pontifex laudes
oraecinit STI. ANTONII M.^{ae} CLARET, nosque hortatur ut ejusdem sequamur prae-
clara sanctitatis specimina?

ANTONIUS MARIA CLARET INTER SANCTOS COOPTATUS

Vetus illud tritum: "orbem in Urbe fuisse", si unquam alias, exactum vidimus vertentis mensis die septima quotquot Romam adiveramus, albo eoque valde auspicato notanda signandaque lapillo. Qua die summi caelitem honores Fundatori Congregationis Missionariorum im. Cordis Btae. Mariae Virginis auctoritate Vicarii Christi in terris, omnium omnino, quae aderant a quattuor mundi plagis, gentium plausu atque favore, decreti sunt.

Romae convenerant cives novi caelitis Hispanorum ingens multitudo et quamplurimi utriusque Americae incolae, patria germani et genere afri, a septentrionibus et meridie populus nequaquam numerabilis. Principes quoque, Ecclesiae Cardinales, Episcopi totius orbis cum latinae tum graecae dicionis Primores quamplurimi. Dissidentes quoque gentes et alterius atque catholicae religionis sectatores adfuisse dicuntur illius diei sollempnissima pompa atque festo. Postremo, ferme sexcenti Cordis Mariae Filii ex omnibus orbis partibus.

Oriente jam sole a quattuor Urbis partibus in Sancti Petri concurritur, quod cum ingens et amplissimum sit, et hominum et mulierum continere vix valuit frequentiam. Ad quinquaginta milia adfuisse fertur.

Hora octava illo ipso die, repente exoritur clamor qualis faventium solet; en adest procul adventatque Summus Pontifex sacra peracturus, sublimis in sede gestatus, cohorte praetoria stipatus, variis insignita vestibus et ornamentis. Post sequitur ingens plaudentium et jubilantium turba.

Jam prope insolitus clamantium favor et plausus percipitur. Insperato etiam argentei litui sonus a summo tholo Basilicae delapsus comovet perstringitque animos. Media tum Ecclesia adest ipse Summus Sacerdos et ad altare, quod nulli licet contingere, accedit sollempni incessu. Res divina incohatur, omnibusque favetur linguis.

Flexis genibus, aliquantum spatii ante altare orat Pontifex, Sancti Spiritus lumina postulaturus, donec iterum assurgens ad thronum paratum accedit ut sollempne edat oraculum.

Tum Cardinalium unus propius stans ad Pontificis solium, genu ante Eum flexo, instanter orat Smum. Patrem ut in catalogo Sanctorum adscribere dignetur et tamquam Sanctum ab omnibus Christi fidelibus pronuntiari liceat, beatum Antonium Mariam Claret.

His dictis, rursus ab omnibus oratur aliquantulum opem divinam exoptantibus. Continuo litaniae sanctorum decantantur, quibus absolutis, alius assistens priorem iterans gratiam a Pontifice instanter et instantius postulat ut rem peragendam sine mora dignetur perficere. Iterum ad preces supplicationesque reditur.

Tunc chorus, Papa ipso praecinente, hymnum "Veni, Creator Spiritus" concinit; quo pariter finito, instantissime Causarum Promotor ut omnibus benigne indulgeat et fidelium votis annuat, a Pontifice efflagitat.

Tandem Ecclesiae Doctor ac Magister, qua insignitus est potestate morum ac fidei definiendae, sollemniter ex Cathedra, ut ajunt, indixit: "Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et Christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra; matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata ac de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatum Antonium Mariam Claret Sanctum esse decernimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus; statuentes ab Ecclesia universali illius memoriam quolibet anno, die ejus natali nempe vigesima quarta octobris, Beati Antonii Mariae Claret inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen."

Qua prolata sententia, nemo est omnium qui siccis oculis factum contemplari vel sine magna animi incitatione et motu percipere potuerit. Ubique clamor, ubique plausus perstrepat.

De re peracta, rogatu Procuratoris Causae documentum conficitur ad perpetuam facti memoriam; litterae quoque apostolicae hac super re a Pontifice eduntur et promulgantur hisce verbis: "decernimus". Munus notariis committitur, omnibus, qui rei sacrae adfuerint, testibus locupletissimis.

Postea omnibus assurgentibus TE DEUM decantatur; finitur oratione ad Caelum in albo sanctorum recens relatam.

Postremo S. Pontifex benedictionem impertitur his verbis: "Precibus et meritis B. Mariae Virginis, B. Michaëlis Archangeli, B. Joannis Baptistae et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Antonii Mariae et omnium Sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus et, dimissis peccatis vestris, perducat vos in vitam aeternam. Amen."

Sequitur Missa sollemnis, qua Evangelium, ut mos invaluit, Latina et Graeca lingua cantatur. Sacro confecto, recedit Papa eadem qua venerat in Ecclesiam via, salutationibus et conclamationibus plausibusque fidelium animo et laetitia exsultantibus.

Actarum rerum memoriam, quae oculis contemplati sumus, dum vixerimus, nulla delebit oblivio; adeo altius animo et vividius mente sunt defixa. Sunt enim festa civium et Christi fidelium Patroni sui jam tandem coronati laudes atque partam meritis in caelo coronam concelebrantium.

RAYMUNDUS SARMIENTO, C.M.F.

Romae, postridie nonas Maji.



Sanctus Antonius Maria Claret, Missionarius

Multiplex omnino et varia "persona", Sancto Antonio Mariae Claret est tributa. Etenim cum eximia sanctitate tum probata doctrina est instructus idemque una fuit contionator et scriptor, confessarius et catechista, operarius et sacerdos, pontifex et martyr. Verum praecipuus tamen et quasi natus hujus viri finis, finis missionalis fuit: in lucem scilicet editur, qui commodum sit Missionarius, isque insignis, universalis, usu doctus, recentissimus.

Ne ille magnus Dei Missionarius atque inclitus Legifer Missionariorum fuit! Ad id quippe muneris officiique electus ac praeparatus est Claret a divino hominum Redemptore et Corredemptrice nostra Maria Virgine. Hoc saepe in Autobiographia vere sincereque Sanctus confitetur; atque adeo totum paene saeculum XIX ab illo emolumento et quaestu missionali est cumulatam.

Caritas Christi urget nos! Ita, semel atque iterum, ut Paulus, clamabat Missionarius. Zelo zelatus sum Domino! Ita, crebro, ut Hieronymus, dictitabat. Enimvero et Dei amore et hominum, divinam ad imaginem fabricatorum, tanquam in unum claretianae vires conferebantur. Animas quaeritare, convertere animas, animis lucra facere, sanctificare, salvare animas: en afflatum et divinum quasi numen, idque diutinum, in Missionario Antonio Claret. Da mihi, Domine, animas!

* * *

Vix dum Claret est sacerdotio initiatus, cum patriam reliquit aliamque Romam properavit, qui suas ibi Missionarii facultates Sacrae Congregationi de Propaganda Fide offerret: ei enim maxime erat optatum ad Missiones infidelium ex destinato mitti. Frustrato vero divinitus consilio, ingredi ibidem in Societa-

tem Jesu expositat, quo facilius vestigia magni illius viri, Francisci Xaverii, tenere valeat. Neque ea tamen fuere divina de novo Missionario consilia!

Patriam igitur repetit Claret, Hispaniam. In Hispania autem, anno 1840, curriculum vocationis missionalis feliciter orditur: illius, inquam, vocationis quamsuum, ipse studium praedilectum ac tanquam nativum semper habuit. Ejus modi certe spiritale opus nunquam propenso animo, in operoso aetatis cursu, non faciet. Caritas Christi urget nos!

Quo vero intentius sacris Missionibus navaret operam, missam animarum curam fecit, cui quidem rei se totum dederat. Curatio enim paroecialis artior illi videbatur; advolandi cupiditate in amplissimas Patris familiae vineas ardebat, ac talis erat species seu "idea" in mente Missionarii defixa. Cessare nequibat, nequibat requiescere, neque animum punctum temporis, in conspectu messis animarum in Hispania, Insulis Fortunatis, Cuba, Italia, Gallia, sedare.

Ad annum usque 1849 per vicos populosque Catalauniae et Insularum Fortunatarum, Superioribus ecclesiasticis obtemperans Missionibus totus miro animarum et divinae gloriae fructu est intentus: decem fere anni laboris assidui et uberrimi ad Dei gloriam per animarum conversionem amplificandam. Atque omnes eum populi uno ore habent Dei legatum, cum ad rerum divinarum dignitatem apte locutus semper sit, neque unquam animo defecerit in missionali opere. Pro Christo legatione fungimur, ut Apostolus, dicere Missionario licuit.

* * *

Sanctus vere Missionarius fuit, est, erit Antonius Maria Claret. Caritas Christi urget nos! Haec semper vox in ore et in corde ejus efficaciter versata est. Jam vero, nunquam perfunctus non est opere et onere missionali in difficillimis hominum, locorum, temporum, paupertatis condicionibus: adeoque animi claretiani amplitudo maxime, despiciendis in sacris Missionibus difficultatibus, eminet.

Sarcina Missionarii, sicut Apostolorum, modestior esse non poterat: Tantulum vestis albae, Breviarium, Biblia Sacra, annotationes non nullae sermonum praedicandorum. Omnino ille, quid rei esset pecuniam in crumena deferre, ignorabat. Populis vero, quo animas melius divinae gratiae lucraretur, saepe numero dicebat: Nullus me huc finis terrenus praedicandi gratia attulit; nobilior mihi in animo est finis. Id unice cupio: Deum cognosci amarique ab omnibus hominibus. Da mihi, Domine, animas!

Denique, paucis si vellem Missionarium Claret describere, eum simul appellarem videntem, militem, martyrem; eum quasi quid ex luce, virtute, animi magnitudine, compositum haberem; eum loqui ut videntem, decertare ut militem, emori ut martyrem dicerem.

Unus Jesus Christus appellari potest, ut est, Missionarius naturae jure. Cujus quidem legati sunt reliqui Missionarii: "Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos". Cum vero hoc sit donum gratuitum, a Domino gratuito cuilibet datur: "Vocavit quos Ipse voluit". Vocavit autem maxime, temporibus nostris, Missionarium saeculi XIX Sanctum Antonium Mariam Claret. Itaque nostrarum laudum coronae ante venerandam hujus Sancti effigiem, nuper in altaribus miro splendorem honore, continuo defluent.

A. GONZALEZ MARQUES, C. M. F.

Sasaimae, in Columbia, mense aprili a. 1950.

Sanctus Antonius M. Claret Missionariorum Institutor

Cum A. Claret, altera tertia parte saeculi proxime elapsi, missionibus populis incumberet, omnes ferme Catalauniae paroecias pedibus lustravit.

Nulla viarum incommoda, nive, pluvia, frigore aut aestu saepe advenientibus, frangere poterant animum Missionarii, tunc pleno juventutis robore florentis.

At, in longis itineribus emetiendis, cum, post obitos copiosos labores quibus, solidos dies missionis occupaverat, ab uno ad aliud oppidum proficiscebatur, quam saepenumero illa verba geminabat Salvatoris dicentis: "Mensis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam!"

In comperto est sollertia, qua ille donatus erat, depromendi e rebus sensibilibus pulchras similitudines ad res spirituales declarandas. Videns ergo cottidie agros notissima Catalaunicorum agriculturalum industria ac navitate tam rite excultos, vix dubitari licet quin squalorem spiritualis agri animarum vehementer doleret; dumque ipsius labra preces supplicationesque pro novis operariis funderent, in ejus mente renascerentur proposita jam olim concepta in tantae necessitatis remedium.

Cogitaverat Congregationem Missionariorum, qui salutem animarum procurandae operam darent: quae novae foundationis "idea" seu propositum saepius in dies ejus menti obversabatur. Quapropter coepit exinde Sacerdotes non nullos virtute praestantes atque eodem spiritu imbutos in partem laboris arcessere. In quibus P. Stephanus Sala primus recensetur. Hunc cum gentes cernerent simili fervore praeditum, heredem Patris Claret ejusque successorem dictitabant. Alter fuit P. Emmanuel Vilaró, Sacerdos omni commendatione dignus, qui S. A. Claret in missionibus archidioecesis Tarraconensis comes sollers et operosus fuit. Sic etiam Emmanuel Battle et alii plures, quos P. Claret sive exemplo sive consilio et adhortatione ad munus missionarii instituit. Nam, ut ad amicum Caixal scribebat, putabat se vocatum a Deo speciali modo, ut viros in apostolatam praepararet: "Tu, ajebat, de libris spargendis curam habe, ego vero de hominibus seligendis curabo. Haec mihi voluntas Dei esse videtur".

Attamen temporum adjuncta causa fuere ne Missionariorum societas ab eo intenta maturius nasceretur. Scribens iterum ad amicum Caixal tertio idus decembris anni 1848 e Fortunatis insulis haec dicebat: "Conatus sum, opere divina fretus, facere tanquam mulier quae ante partum habet jam veluti ad manus pannicula, fasciolas, cet., ad puerum fovendum atque tuendum...; atque, ut tibi solacium afferam, dicam nos habere jam paratam domum, adesse socios, esse...; sed vis partui minime est inferenda. Animadvertite, quaeso, domine, nos quasi versari in adjunctis fetiferae illius mulieris Apocalypsis, quae ante se draconem habet, prolem nascendam devoraturum".

Tandem postridie idus Julias sequentis anni, dies natalis fuit diu desideratae Congregationis Missionariorum, quae Congregatio Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis est nuncupata.

Seminarii Vicensis dioecesis cellula, quam paupertas et loci angustia specui Bethlehemitico, ubi Christus est natus, haud absimilem faciebant, ejusdem fuerunt cunabula. Quod tamen non impedivit quin S. P. Conditor in contione quam ad sex socios primam habuit, nascenti societati metam altissimam tum sanctitatis cum apostolatus praefigeret, et opus magnum futuram incunctanter assereret.

Verisimile est hac etiam occasione suam percelebrem Missionarii descriptionem fecisse, quae illis verbis orditur: "Filius Immaculati Cordis B. Mariae Virginis vir est caritate exaestuans, qui, qua transit, ignem spargit", cet. Quibus verbis Sanctus Fundator, dum se ipse depingebat, perfectum exemplar ob oculos Missionariorum cum praesentium tum futurorum ad imitandum posuit.

Primordia tamen recens natae Congregationis facilia nequaquam fuerunt. Difficultates enim cujuslibet generis novo operi enatae sunt quam maxime, eo quod praepropere efficaci gubernatione P. Fundatoris fuerit orbata. Ille enim, licet invitus, ad Archiepiscopatum S. Jacobi in Cubana insula est evectus et Episcopus consecratus pridie nonas Octobres, paulo post in Archidioecesim se contulit. Cujus praesentia ita necessaria Congregationi videbatur ut non pauci de ejusdem sorte desperarent.

Rerum publicarum conversio Hispana anni 1868 eam fere omnibus domiciliis expoliavit. Et cum socii ad necem conquirentur, P. Crusats illam proprio sanguine decoravit.

Adversa tamen fortuna, nedum Congregationem exstingeret, eam roboravit: Sicut hiems et frigus plantis robur afferre solent, cum eo tempore altiores radices agant quo, vere adveniente, uberius frondescere et fructificare videantur, sic etiam Congregatio, hieme adversitatum transacta, adolescere viribus visa est. Et, cum novis membris non ignobilibus certe, mirum in modum adaucta esset, novas domos et collegia cum in Hispania tum in aliis Europae nationibus et praesertim in America aperire valuit.

Singulari memoria dignae aestimantur infidelium missiones, quibus etiam Congregatio non exiguam operam esse impertita.

Sanctus P. Claret, quod omnibus est notum, vix Sacerdotio insignitus, Romam est profectus S. Congregationi de Propaganda Fide in opem missionum sese oblaturus. Ipse tamen votorum suorum compos non est factus, at certe ipsius Filii Missionarii optatis Patris perfecerunt, cum in Asia et in Africa et in America nonnullos Vicariatus apostolicos aut Praefecturas administrarent.

Vicariatus apostolicus Guineae Hispanae in Africa fuit hactenus procul dubio ager missionis in cujus cultura Missionarii Claretiani plurimum insudarunt.

Cum P. Claret, ad dimidium saeculi elapsi, Fortunatas Insulas verbum Dei praedicando peragraret, fuerunt aliqui Episcopi Hispaniae qui cogitarent de condendo inibi seminario, ubi Sacerdotes instituerentur e diversis Paeninsulae dioecesisibus. Qui Sacerdotes, hoc pacto caelo Africano assuefacti, postea in Guineam mitterentur.

Tali collegio-seminario P. Claret praeponendus erat in operis successum. Res vero variis de causis infecta mansit.

Sed fuit ipse Claret, qui per Missionarios a se institutos illius remotae, periculosae et fere derelictae coloniae necessitatibus providit, ita ut nunc major pars incolarum Christiano nomine decorentur.

Diademate sanctitatis circumdatus sanctus Antonius Maria Claret hodie ante omnium oculos coruscat. Idcirco ejus vita et exempla tanquam voces sunt quae nos ad virtutem adhortantur. Altius vero per Filios Missionarios alloqui videtur, qui numero ultra tria milia in quinque mundi partibus sparsi, memores acceptae a tanto Patre hereditatis, strenue saluti animarum procurandae vacant.

ANGELUS BARRAU, C. M. F.

Vallibus, mense majo, a. 1950.

CONGREGATIONIS CONFUNDATORES

Praecipuus omnium titulus quo Sanctus Antonius M.^a Claret decoratur est certe religiosarum institutionum et societatum Conditoris et Patris, atque in primis Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V. Nec tamen minima pars laudis illis viris, quos Confundatores nominamus, tribuenda videtur. Nam hujus Instituti fundamenta pariter cum ipso jecerunt. Immo vero ab iisdem per mundi plagas dilatatum est atque propagatum. Cum igitur illuxerit tandem dies quo Mater Ecclesia Fundatorem nostrum in Sanctorum numero rettulit, cumque ejusdem Congregationis annus centesimus non pridem impletus sit, juvabit sociorum nomina, virtutes, exempla, in memoriam revocare. Liceat ergo in hoc PALAESTRAE numero **extraordinario**, ob solemnia canonizationis edito, paucis de unoquoque disserere. Plures jam annos ante Congregationem conditam P. Claret menteolvebat societatem ad missiones cum alijs sacerdotibus inire. Dum hoc consilium secum ipse agitabat et cum doctissimis viris communicabat, satagebat quam pluribus de socijs sibi adjungendis ut propositum ad eventum perduceret. Cum igitur in oppido Gombreny anno 1843, spiritualia exercitia dirigeret, animum suum in R. D. Stephanum Sala presbyterum intendit. Nec immerito.

P. STEPHANUS SALA

Is unum et tricesimum annum tunc temporis agebat. Statura erat mediocri, facie pulchra divino quodam nitore illustrata. Alijs dulcis, amabilis; in se tantum asper et rigidus. Quo fiebat ut omnium oculos et animos in se converteret. His accedit ingenium acutum, flexanima eloquentia. Neque facile invenires alium tanta puritate ornatum tantaque modestia praeditum; ut adeo P. Xifre, ejus confessarius, dicere non dubitaverit acceptam in baptismo innocentiam nunquam amisisse. Sanctus, ab ijs quibuscum vitam degebat, habebatur et ab omnibus secundus a Sancto

fundatore, cujus et heres fuit virtutum et spiritus tum muneris Supremi Moderatoris Instituti. Quo in munere omnem curam in interiore Congregationis vita roboranda impendit. Ipsemet archiepiscopus P. Claret hanc attulit rationem cur eum proposuerit successorem sibi in archidioecesi Sancti Jacobi de Cuba, quia, inquit, aptissimus omnium videtur; animus vero utriusque similis ac par. Quod tamen ne perficeretur mors obstitit.


P. JOSEPHUS XIFRE

En homo corpore gracilis, statura procerus. Prima fronte durus et asper, sed revera corde mitis magnanimusque.


Ex firmata fide Petrus; ex zelo indefesso Paulus videtur. Vir maximo animi robore inter ipsas difficultates magnorumque facinorum patrorum. Eadem fere in rebus apostolicis studia ac Pater Claret fovebat. Quare nihil moratus est quominus Vicum ad novam Missionariorum societatem instituendam conveniret. Eandem postea per annos quadraginta ut supremus Moderator non tantum rexit ac gubernavit, sed quodammodo progeniit. Quam vero impensissime laboraverit, quos ad exitus opus perduxerit vel ex hoc conjectare



Rmus. P. Stephanus Sala



Rnus. P. Josephus Xifré



Rdus. P. Emmanuel Vilaró

licet quod cum initio ejusdem regim-
nis una tantum esset domus, socii de-
cem, in ejus exitu domus septuaginta,
sodales vero mille quingenti septuagin-
ta duo. Ergo jure et merito vocatur
alter fundator. P. Marianus Aguilar
in "Vita admirabili P. Claret" haec scri-
bit: "In exercitu dux fuisset ingenio et
virtute invictus; in re navali eximius
facinorum patrator; in republica dicta-
tor acerrimus, qui hostium insolentiam
coërcuisset; sed zelus domus Dei jam a
puero cor ejus totum pervasit et ad
majora et utiliora animum inclinavit.

P. EMMANUEL VILARO

Cum trium et triginta annorum es-
set paroeciam Sancti Martini de Ses-
garols non piger deseruit ut se cum
ceteris confundatoribus consociaret. Sed
jam antea Patris Claret in munus
apostolicum fuerat comes neque igno-
biles adeptus erat triumphos. Nam mag-
no fuit populis exemplo, atque modes-
tia, alacritate consuetudineque familiari
statim omnes in se convertebat. Postea
ipsum P. Claret, Sancti Jacobi de
Cuba archiepiscopum electum, ut minis-
ter a secretis est comitatus, ibique con-
tinuo, dum per valetudinem licuit, ad-
laboravit. Hac de causa in Hispaniam
reversus ibique est vita functus. In-
genua ac laeta erat facie atque in di-
cendo dissertus. Ad haec, summa men-
tis celeritas ac vis summaque humani-
tas, quae omnia, una cum voce clara
ac valida mirum in modum conflata,
multum conferebant ad id ut insignis
haberetur sacer verbi divini contionator.

P. DOMINICUS FABREGAS

Sacerdos exemplar. Duo et triginta
annos natus. Ingenio haud ignobili, pla-
cida ac grata voce ornatus. Cum ad
omne contionum genus esset idoneus
tum maxime vigeat ut Doctrinae
Christianae instructor. Anno 1849, men-
se julio, eximius Doctor Casadevall, qui
consiliis et opera Patris Claret assi-
duus fuit Dnum. Dominicum Fábregas
arcessivit, cujus artis oratoriae sa-
crae studia, virtutes, cetera cognita
habebat, eique persuasit ut Patris Cla-
ret pareret mandatis. Quod consilium
libenter est exsecutus.

F. JACOBUS CLOTET


E quinque sociis junior, sextum enim et vicesimum annum agebat. Uno et dimidio anno in paroecia peracto, sibi non videbatur conscientiae acquiescere nisi superioribus significaret vocationem suam ad munus paroeciale non esse. Eum igitur ad se accessit P. Claret. Novi Instituti consilium ei placuit; humilitate tamen motus non potuit non hanc proferre vocem: "Quam vobis afferam utilitatem, qui sum homo corpore infirmo, statura parvus, voce tenui, artis oratoriae expertus et ingenii"? At longe alia erat P. Claret opinio et Patris Xifré, cujus haec sunt verba: "Erat quidem brevis homo, sed liberali forma optimaque institutione. Neque ingenio carebat, immo tum in puerorum institutione cum in spiritualibus ad moniales exercitiis longe erat praestantissimus... Erat etiam candoris exemplar vitaeque innocentis. Illi nemo inimicus fuit. Vixit virtutum odore fragrans. Ejus sanctitas jam dudum ad beatificationem coepta est agitari.

Hos Deus vocavit, hos elegit ut firmatae essent novi instituti columnae. "Mirandum saepe spectaculum, ait P. Claret, Angelorum admiratione dignum! "En sex Sacerdotes in arto cujusdam Seminarii alumni cubiculo. Nullum aliud in eo invenies ornamentum praeter mensam, Virginis Mariae picturam, duo scamna, eaque omnia parvi pretii ac mutuata. Inter se colloquuntur quomodo opus facile omnium maximum in finem ducant ad Majorem Dei Gloriam animarumque salutem."


Ea nocte, sexta decima mensis Julii 1849, novo lucis splendore Ecclesiae firmamentum illustratum est, Patre Claret stella duce ac principe. Et lucebit in aeternum!

J. ASTASIO, C. M. F.

Xerae Equitum, m. majo, a. 1950.



R. P. Dominicus Fábregas



Servus Dei P. Jacobus Clotet

CORDIS MARIAE SIGNIFER

Sanctus Antonius Maria Claret principatum tenet inter cultores et fautores devotionis erga Cor Imm. Mariae. Immo ex ardore ac studio quo eam devotinem, labente saeculo XIX, propagavit, praeco et signifer Cordis Mariae merito appellari meruit.

Nam: a) *Missionarius* se Cordi Beatae Mariae Virginis praebuit devotum et Purissimi Cordis Confraternitatem propagare nunquam destitit.

Ilerda meruit prima, a Claret quasi manuducta, hanc ingredi salutis arcam die 7 junii anni 1846. Quam secuta est Celsona die 26 februarii anni 1847, cujus omnes fere incolas Archiconfraternitati Missionarius adscripsit. Deinde decem milia circiter incolarum Vicensium, quorum per dies triginta mentes erudierat, Archiconfraternitati die primo augusti anni 1847 conditae, nomen dederunt; multae quoque dioecesis, paroeciae, hortante Claret, vestigia urbis principis sectatae sunt. Minorissa, Tarraco, Olotum, totumque Catalauniae regnum salutis tenuere viam, quam Cordis Mariae nuntius praemonstraverat.

Cañarías usque insulas vox praeconis Cordis Mariae diffusa est, cujus documentis et adhortationibus Matris devotio maxime pervulgata est ut illustre fit ex Episcopi Codina Pastoralibus litteris, ex quibus patet res adversas impedisse quominus ibidem Archiconfraternitas conderetur.

b) *Archiepiscopus et regius Confessor* hanc eandem Cordis Mariae confraternitatem instituere curat et pro virili parte apud Elisabeth II^a, Hispaniarum Reginam, laborat ut festum Immaculati Cordis Mariae in omnibus regni dioecibus inducatur, quod tandem apostolica auctoritate sancitum est.

c) *Coetus religiosos Cordi Mariae dicatos condit*, inter quos eminet Congregatio Missionariorum Filiorum IMM. Cordis Mariae Virginis. Praeterea ut securum praeberet refugium piis adolescentibus feminis, quae religionem ingredi nequirent, "Religiosas apud suos" seu "Filiis Imm. Cordis Mariae" instituit, praevidens quae postea in Ecclesia publice et sollemniter de Institutis saecularibus approbatum est. Alias quoque Cordimarianas institutiones aut condidit aut fovit.

Tandem —complectens omnia brevissime—, juvat quosdam libros recolare, quos de Corde Mariae aut in ejusdem laudem conscripsit et edidit. Praeter ceteros, recensendi sunt: fasciculum "Breve noticia sobre la Archicofradia", "Religiosas en sus Casas o Hijas del Smo. e Ido. Corazón de Maria", "Reglamento de las Hermanas del Smo. e Ido. Corazón de Maria", quin precationum, piarum praxium, aliorumque id genus ab ipso Claret scripta et propagata mentionem faciamus.

Ecclesia Sancta Antonium Mariam Claret tunc summis coronat altaris honoribus cum Mariae Cordis regnum oritur universo mundo; quo fit ut gloria filii, Matris praenuntiet triumphum. Omne sit decus Cordi Mariae in Filio praedilecto Sancto Antonio Maria Claret.

LUDOVICUS MARCOS, C.M.F.

Sancti Dominici Calceatensis, m. aprili a. 1950.

POST ROMANAM PEREGRINATIONEM

Jos. M.^a Mir P. Ildefonso González, C. M. F., sal. pl.

Corporis quieti ac levamini aliquantum indulseram —post nostram Romanam peregrinationem— cum tandem opportunum aptumque duxi tempus ad te quaedam narrandi quae gratissima nobis in illa fuerunt.

Omnibus apte paratis, peregrinorum numismate ac bicolore vitta insigniti, hora septima matutina in statione Barcinonensi aderamus, ac paulo post in loculamento, cuique litterarum ordine in curribus praestituto, commode sedentes, ante horam octavam magnum tramen ferriviarium, quindecim currus vehens milleque peregrinorum capiens, super viam ferream molliter effluebat. Magnam profecto et in via et in reditu percepimus voluptatem dum jucunda et amoena illa loca, mari undique abluta villisque circumdata, conspiciebamus, illasque magnas urbes Massiliam, Genuam ejusque Ligusticum mare et portum, Pisas in quibus aliquot horas immorari licuit et monumenta, ut Pisanam turrim, contemplari.

En tibi, tandem, itinere ferriviario unius et sesqui diei confecto, ad Romanam Urbem nocturna luce collustratam, vigesima enim erat hora cum dimidia, corde suavissimas permotiones adspirante et exspectante, adventamus. Ibi nos ante stationis aream magna autocarrorum copia opperiebatur, quae nos in varia deversoria continuo perducerent; ubi, assignato cuique cubiculo cenaque festinanter sumpta, quieti se tandem omnes placide dederunt. Deversorium supra Janiculum nobis assignatur ad Basilicam Sancti Pancratii in via Ardeatina —nisi fallor—, ante aream Sanctae Octavillae, recens exstructum, ex quo conspectus diffunditur undequaque Urbis ac viciniarum pulcherrimus et visu jucundissimus. Huc conveniebant cottidie illi praegrandes autocarri qui nos in Urbem, in monumenta, in Basilicas visendas inducerent.

Neque tamen opus erit universa tibi subtiliter enarrare quae epistolam nostram longiorem texerent; sed neque suo omnia persequar ordine.

Cum socio igitur, quodam die fora adire constituimus —neque enim vetera Romanorum monumenta oblivisci fas erat—: Forum Trajanum sedulo perlustravimus ingentes illas marmoreas columnas demirantes quae in Basilica Ulpia exstiterant, et Columnam in primis Trajani, quae figuris affabre effictis, Trajani Imperatoris bella in Dacios, toto suo ambitu in spiram ducto, mira arte recenset. Forum Caesaris, Forum Romanum, fora Imperialia velocius percurrere opus est; tempus enim urget, et tamen, haec dum percurramus, quanta mente evolvimus vetera...; quoties hic Romanus orator adfuit, quoties in rostris ad populum eloquentissimas protulit orationes Rei publicae pericula, conjurationes populo patefaciens!... Neque longe abest Tullianum, sacer ille atque horribilis carcer, in quo et Gracchi, tribuni plebis, et socii Catilinae, et praeterea tot conspicui viri in religione christiana, ut Petrus et Paulus et alii Christi martyres fuerant inclusi... Ad aram in superiore loco et infra ubi —prout veneranda fert traditio— Beatum Petrum aquam a Deo impetrasse ad custodes baptizandos, multa quidem agitamus, amorem et fidei constantiam Apostolorum et martyrum venerantes, atque recentium martyrum memoriam, qui paria pro Christo passi sunt, recolentes. Paululum inde progressi, et in via conspicati tabulas murales, Imperii Romani terras variis temporibus describentes, ad Scalas Sanctas advenimus, quas fideles nosque pia devotione genu flexo ascendimus quia in domo Pilati, ut pie traditum est, prius in Passione et Dominus ascenderat; hic quoque venerabilis asservatur Christi imago “acheropicta”, id est, hominis manu non depicta.

Alia quoque recolimus monumenta, quamvis plura e mente paene exciderunt. Me parumper comitare. Eminens illud imperatorum mausoleum —Molem Hadrianam— vides, nunc autem Castellum Sancti Angeli appellatum; illic supra Tiberis oras magnifici insternuntur pontes et veterum et recentium Romanorum egregia monumenta; ad Pontem Fabricium —omnium Romanorum vetustissimum— insula Tiberina adjacet totiens laudibus celebrata; Pincii viridarium inspicias, ubi monumenta prostant conspicienda et clarorum virorum imagines et ex quo editiore loco Urbis ample proponitur oculis conspicienda. Viae quoque plures tibi percurrendae: via fororum imperialium, Via Appia antiqua et recens, neque obliuiscendae plateae Hispaniae, Populi, cet.; Arcus Titi et Constantini, Circus Maximus, Pantheon, Capitolium, Thermae Caracallae, ubi frigidarium, tepidarium, caldarium facile dignosces. Quod tamen haud facile ex animo discedet tuo est Colosseum seu amphitheatrum Flavii, maximum antiquae Romae monumentum, a Tito perfectum, ubi ludi publici celebrabantur, gladiatorum pugnae et ferarum, naumachiae. Quattuor arcuum tabulata in eo conspiciuntur, ejusque longitudo in centum octoginta quinque extenditur metra et quinquaginta expectantium milia capiebat, infra ferarum caveae erant suppositae. Quas dum voce significo feras cearamque caveas, in mentem veniunt subterraneae illae defossiones, Catacumbae sacro nomine appellatae, omnium aetatum ex gentium pio cultu visitatae, quas et nos, maximis animi permotionibus agitati, perlustravimus ac venerati sumus, Catacumbas scilicet Sancti Callixti, ubi pueri Tarsicii, Summorum Pontificum, Sanctae Caeciliae sepulcra exstiterunt ac sacros muros, figuris et inscriptionibus ubique affixis, pie deosculamur dum nostrorum in fide et martyrio patrum vestigia miramur atque colimus.

Maxima quoque prosequi sumus pietate et mentis intima veneratione quattuor Jubilaei Basilicas visitantes quarum tibi magnitudo, decora, imagines describi difficile his versibus est. Quis enim Vaticani molem ejusque amplissimam aream columnarum serie circumdatam, ceterarum Basilicarum picturas, imagines, columnas, altaria, lacunaria copioso auro intexta apte describet?...; quis praesertim totius animi intimam permotionem aperiet dum illas sacratissimas Apostolorum, Martyrum, Sanctorum reliquias venerabamur?...; quis unitatem Ecclesiae non mirabitur ac laudabit sub una fide unoque visibili Capite tot gentes videns, vario colore ac vestibis distinctas, linguas colloquentes diversas?...; quis peregrinantium non extollet pietatem Anni Sancti gratiam conquirentium atque Jubilaeum lucrantium?...; quis tandem, o bone, egregiam illam Romani Pontificis gracilem figuram sed amabilem, benignam, eloquentem, efficientem, disciplinarum omnium, plurium linguarum, sanctitatis in primis decore ornatam non colet ac diligit?...; quis unquam Romanum Pontificem dum sacra Canonizationis peragit, dum Fundatorem nostrum suprema auctoritate Sanctum atque caelestem Patronum invocat nobisque ejus praeclara exempla sequenda hortatur..., quis, inquam, venerandam illam ac sacram caerimoniam et Audientiam, insequenti die benigne concessam, quis paterna verba adhortationis et amoris plena, quis illam amplissimam totoque corde effusam benedictionem, supernarum gratiarum augurium et indicem, tota nostra vita obliuisci unquam poterit?

Sed jam... et nobis Roma discedendum, jam Romana relinquenda, nosque in nostra cotidiana negotia denuo immergendi... Quas quidem supernas animi voluptates percipiendas alias tibi propono.

Dum et tua teque ipsum exspectamus, multum vale.

Barbastro, sexto kal. junias Anni Sancti 1950.

CARMEN AUSPICALE

CLARETIANAE FAMILIAE
QUO DIE PATER EJUS AC CONDITOR
SANCTITATIS SUPREMOS
DUXIT HONORES

Progenies Claret, quæ totum fusa per orbem
diluxisse vides corde micante diem
quo Christi Interpres, divino pectore fatus,
veridico Superis inseret ore Patrem:
en age, quid cessas? cari Genitoris ad aras
adpropera, et Sanctum fausta precare tuum.
Ac primum tereti digito compone capillos,
alba quibus decorent lilia mixta rubris,
quæ referant caesos crudeli funere natos,
quorum martyrio conspicienda nites.
Dein qua virgineam cepisti veste Parentem
—illa nempe mera simplicitate tua—
indue, et auspiciis hominum divumque beata
plenis da manibus, da pia tura Patri.
Ipse suos adsit Genitor visurus honores,
atque velit caelo missus adesse tibi.
Portet inaccessam radiantia tempora lucem,
indutus trabea, candidus ipse, rubra.
Portet et immisso fulgentia pectora Jesu,
cujus splendorem vix male laeva tegat.
Tum dextram felix et lumina tollat in altum,
ac si inopinatum numen adesset ei.
Adstet ad hæc Virgo caelo delapsa sereno,
caerulea in palla puniceaque stola,
transfixum gladio maternum Quæ indice monstret
Cor cinctum flammis purpureisque rosis.
Demum caelitibus, qui decidat ore, susurrum
aliger impenso scribat amore puer.

Talem se Genitor claris demissus ab astris
praebeat, et votis adnat ille tuis.
(Non aliter plausus inter fremitusque secundos
aspicies Divum, Roma beata, novum
cum subito, scisso magno pulchroque tapete,
arduus in cella se offeret ille tibi).
Sed jam, sancte Pater, placidus cape turis honores
quos tibi dat plena cara Propago manu.
Sancte Pater, cape tura libens votisque benignus,
quae tibi ferventi nuncupat ore, fave.
Effice, quo pollet, decor ut succrescat in annos,
inque suum semper stet decus omne caput.
Effice ut ingentem teneat per saecula famam,
milleque virtutis floreat illa modis.
Effice ne factis meritisque recedat avitis,
illa sed accumulet laudis honore novae.
Denique da Suboli natos, prolemque ministra,
curset et ante suos parvula turba pedes
facta senescentis quae longius inclita Matris
perferat, et magnum nomen in astra levet.
Desine jam calidis suspendere vota labellis,
Progenies Claret, fundere mitte preces;
speque bona gaudens aris decede paternis,
excepisse Patrem vota precesque putans.
Jam venies iterum cari Genitoris ad aras
cum, voti compos vincetaque flore comas,
debita persolves Divo sollemnia nostro
imponesque suis mascula tura focis.
Interea fidibus Claret celebremus honores,
et juvet ad laudes flectere verba suas.
Sicque diem festum ducamus carmine, donec
deficiat guttur dextraque fessa cadat.

ISIDORUS MAULEON

Pampilone, Non. Maj. a. D. MCML.

DE CLARETIANAE CONGRĒGATIONIS SANCTITATE

Christus condidit Ecclesiam quibusdam notis ornatam, quae velut ab ejus intima vi promanant; in quibus sanctitas ceteris longe praestat.

Ecclesia enim est suapte natura seu “essentialiter” sancta, utpote corpus Christi, quod eandem, quam Jesu Christi Spiritus seu Spiritus Sanctus, vitam degit divinam.

Quae cum ita sint, facile patet quodcumque hujus corporis membrum, dummodo ab eo non fuerit abscissum, eadem frui vita, sive illud fuerit individuale sive sociale, veluti particulae ecclesiae et civitates vel ordines et congregationes religiosas, in quibus modo considerare Claretianam Congregationem ad nos spectat.

Eam utique nobis arridet theologice definire cum R. P. B. Garcia-Rodriguez, C. M. F. *“Congregatio, inquit, Missionariorum Immaculati Cordis Mariae, membrum est mystici corporis Christi, quod constituit Deus in Ecclesia per S. Antonium Mariam Claret —elapso nunc primo saeculo—, ut plenam ageret vitam et divinam, ope filiationis cordimarianae, per evangelicorum consiliorum juxta Constitutiones proxim (1)”*.

Ut enim mystici corporis Christi membrum, Congregatio Claretiana est ontologice res quaedam supernaturalis per intimam eidem Christo conjunctionem, cujus vitae quam artissime inseritur. Quam vitae plenitudinem Deo placuit generare per S. Antonium Mariam Claret, qui patris instar et patriarchae Ecclesiam nova prole fecundavit, cuique suas impressit notas et characteres.

Quapropter Congregatio Missionarium I: C. B. M. V. vitam plene vivit Ss. Trinitatis, quod idem est atque asserere notam ejus “essentialem” non aliam esse atque *universalitatem* in traducendis ad semetipsam, prout humana patitur infirmitas, omnibus J. Ch. virtutibus.

Filiatio praeterea Cordimariana, notam constituit peculiarem Claretianae sanctitatis, qua totam vivimus divinam vitam, ope in primis nostrarum Constitutionum, quibus amplius adhuc inter ceteras religiosas familias discriminamur, et quarum *“observantiam...—miseriam et fragilitatem humanam, temporumque difficultatibus gratia divina superantes—in pleno vigore”* re ipsa conservarunt Claretianae familiae alumni, juxta testimonium litterarum gratulatoriarum S. Congregationis de Religiosis, Rmo. P. Generali nuper missarum.

Et re quidem vera, vergente jam a Congregatione condita saeculo primo, ipsa fructus emisit non paucos ab ejus “essentiali” sanctitate ortos. *“Auspicato saepe contingit, ait Pius XII in epistula ad Rmum. P. Generalem die XVI mensis julii a. 1949 missa, ut, illucescente Sancti Anni nuper indicti aurora, Claretianae*

(1) *Congregación santa*, Crónica de la Provincia Claretiana de Castilla, núm. 112 (pág. 132).

familiae laudes et sanctitatis decora per saecularia sollemnia luculenter eifulgant."

Etenim, labente saeculari tractu, ab anno 1849 ad 1949 usque decurrente, in Ecclesiam triumphantem Congregatio 1905 socios vita functos intulit, qui sane theologice totidem sancti appellari valent, juxta *promissionem consolatoriam*, quam ipsi vocamus, quamque caelitus esse factam Sancto nostro Fundatori historice certo constat: "*Deus, inquit, mihi revelavit omnes, qui ad mortem usque in Congregatione permanserint, salutem aeternam esse adepturos.*"

Quo in copiosissimo exercitu plures eminent, qui heroica, prout hominibus patet, virtute fulgentes apparent. Paucos tamen meminisse satis est.

In Confundatoribus Instituti recensere licet PP. Stephanum Sala († 1858) et Jacobum Clotet († 1898). In reliquis afferamus PP. Franciscum Crusats († 1868), Donatum Berenguer († 1886), Paulum Vallier († 1895) et Marianum Avellan: († 1904); Scholasticos Ignatium Buil († 1880), Jacobum Puiggrós († 1886), Eusebium Bofill († 1904), et Aloisium Alvarez († 1918), et Fratres Coadjutores Michaëlem Xancó († 1887), Emmanuelem Giol († 1909), Petrum Marcé († 1927).

Quo modo autem Claretianos martyres digne extollamus, nescimus, "*turbam illam magnam*", de qua jam velut praevenire dignatus est suam peraugustam sententiam Pius XII in supra laudata epistula: "*multi ex iis praeclara sanctitatis exempla a Beato Fundatore tradita in se reddere ac referre studuerunt; de quibus deque illis non paucis, qui sanguinem quoque, uti fertur, in testimonium fidei profuderunt, Ecclesia in eo est, ut suum ferat iudicium*".

Porro, praeter Claretianum protomartyrem, P. Franciscum Crusats († 1868), Congregatio aurea fulget corona duorum martyrum in Mexico (1914, 1927) unius in Columbia († 1947) et 270 in Hispania.

Inter Ordines nobilitate eximios et Congregationes, Deo placuit a minima Congregatione Claretiana, quae anno 1936 quatuor milium alumnorum numerum nondum attigerat, postulare non relative tantum sed etiam absolute majus sanguinis tributum quam a ceteris religiosis familiis.

Quod si, apud Tertullianum, "*semen est sanguis christianorum*" (Apoi. cap. L, n. 176), quot Claretianorum erit germen ille sanguis a nostris sociis quam copiosissime effusus! Memoriam tantum revoces velim martyrum Barbastrensiū, quorum memorabiliis martyrii fama totum pervasit orbem, et Fratris Ferdinandi sepeas, martyris simul fidei et castitatis.

Ut sanctos vel martyres Claretianos altaris honoribus aliquando cumulemus, incohatus est canonicus processus beatificationis et canonizationis illorum plurium, tempore et loco quibus in sequenti schemate constat:

P. Francisci Crusats Segoviae (20 - 1 - 1907) et Tarracone
(23 - 4 - 1907).

P. Jacobi Clotet Vici (18 - 12 - 1919).

P. Mariani Avellana	Serenopoli, in Chile (1919).
P. Andreae Solá	
51 Martyrum Barbastrensiū	Barbastri (20 - 5 - 1947).
60 " Cervariensium et Celson	Celsonae, in Iledensi prov. (11 - 2 - 48).
Fr. Petri Marcé	Sti. Jacobi de Chile (7 - 6 - 48).
4 Martyrum Valentiae	Valentiae (5 - 11 - 48).
3 " Fani S. Andreae (Santander)	Fani Sti. Andreae (- 9 - 1949).
11 " Ilerdensium	Ilerdae (1949).
8 " Sabatelli	Barcinone (28 - 11 - 49).
4 " Sallenti	Vici (1949).

Tandem, non aliter atque in Ecclesia, distinguere possumus in Claretiana Congregatione duplicem sanctitatem, activam videlicet et passivam. Alteram supra investigavimus, cum quorundam Claretianorum virtutibus coruscantium nomina protulimus.

Ad sanctitatem quod attinet activam, satis sit apostolicorum conspectum ministeriorum exhibere in primo saeculo apud nostrates exercitorum:

Baptismi, 1.300.000 (1).	Menses, 7.400.
Confirmationes, 1.280.000 (1).	Hebdomadae majores, 16.600.
Matromonia, 262.000.	Novendialia et septenaria, 57.400.
Communiones, 370.440.000 (2).	Quinaria et tridua, 45.000.
Missiones, 51.000.	Panegyrici et sermones, 862.000.
Exercitia spiritualia, 63.000.	Contiones et collationes, 1.172.000.
Quadragesimae, 5.000.	Recessus spiritualis, 77.600.

Quibus apostolicis laboribus adjicias, quaeso, 154 periodicas publicationes, quibus verbi Dei semen per totum terrarum orbem diffusum est, ita ut si verbis utamur pontificiis in laudatis litteris, "*quis enumeret, quot uberes salutis fructus, ediderit hujusmodi apostolatus*" Claretianus?

Ut finem sermoni nostro imponamus, "*gratias agamus Domino Deo nostro*" ob tot ac tanta beneficia, quae Congregationi Claretianae decursu primi saeculi largitus est, praesertim cum a fine, quem ab ipsomet legifero Patre habet praestitutum, illa nunquam recesserit: "*Ejus finis erit, in omnibus Dei gloriam, Sodalium suorum sanctificationem, totiusque mundi animarum salutem quaerere*" (Constit., p. 1, c. 1,2).

DESIDERIUS HERNANDO, C. M. F.

Celso, m. mayo a. 1950.

(1) Per 30 postremos annos tantum.
(2) Per centum annos.

TE MARTYRUM CANDIDATUS LAUDAT EXERCITUS

Liceat mihi haec auguralia verba ad gloriam Conditoris Patris referre momento quo ad supremos sanctitatis honores euectus est. In terris filii et oratores Patrem et Patronum collaudant. In caelis Sanctus Antonius Maria, Claretianorum lucida corona stipatus, laudibus et canticis celebratur magnaue exultatione et honore cumulatur.

Sed inter Claretianos caelicolas, frequentia concentuumque varietate, effulget Martyrum Candidatus Exercitus. Filii Martyres, Martyrem Patrem voce, votis, palmarum munere concelebrant, dum Beata Virgo Filii Carissimi tempora fulgida corona cingit.

Hanc Patris Filiorumque martyrii gloriam, vili quidem marcidoque, sed festo sermone, recolere opportunum visum est.

1. — MARTYRIUM PATRIS

Atque in primis de Martyrio Patris Antonii M. Claret. Nam, si, ad mentem D. Thomae (2-2, q. 124) verum martyrium computatur non tantum subire mortem, sed etiam letale vulnus in odium religionis, vere martyr Sanctus Antonius M. Cla-



SANCTUS ANTONIUS M.^o Concilio Vaticano adfuit, reliquis Episcopis Hispaniae stipatus, quibus ipse in omnibus auctor et consiliarius fuit Ibi illa protulit Sti. Pauli verba dum Pontificiam infallibilitatem propugnabat «Stigmata Domini in corpore meo porto».

ret dicendus, qui revera calicem passionis delibavit. Archiepiscopus enim Cubanus bellum contra illegitima contubernia indixerat, conatus pessimam iliam pestem evellere. Quo factum est ut iram secretarum societatum in se concitaret. Homo quidam scelestus, cujus scortum, verbis et incitamentis Archiepiscopi, ad bonam frugem se receperat, inita cum sociis criminis conjuratione, in oppido Holguin, osculum devotionis simulans, saevus in Sanctum Praelatum irruit profundum et gravissimum vulnus dira novacula ejus genae infligens. Paene exanimis, non nisi ope divina evenit ut aliquot post dies mederetur. Neque in posterum dubitavit strenuus animarum Pastor semel iterumque animam pro ovibus ponere. Recte igitur in gloriosos martyres Sanctus Antonius numerari, eique hi Prudentii versus merito reddi possunt:

“Cruda te longum tenuit cicatrix
et diu venis haesit ardens;
... ..
invidus quamvis obitum supremum
persecutoris gladius negarit
plena te, martyr, tamen ut *peremptum*
poena coronat”.

(*Peristeph.* IV, 129-136.)

2. — MARTYRIUM FILIORUM

Sanctus Conditor miram Instituti Claretiani propagationem, divino quodam afflatu, praesenserat et hanc futuram praesagiavit post generosam Filiorum sanguinis effusionem. Sciebat enim sanguine christianorum nulla esse uberiora semina.

P. Franciscus Crusats, anno 1868 primus in Congregatione gladiis impiorum occumbens —nobilis vita, mortis indole nobilior— duplici donatur laurea, martyrii mempe et candoris.

Vertentibus annis in Mexicana Republica impiorum lues ingruit. In ea *Marianus González*, Fratrum Adjutorum exemplar, anno 1914, post plura data virtutum specimina, pro fide interfectus est. Postea anno 1927 *P. Andreas Solá*, indefessus Missionarius, pro Christo Domino et Corde Immaculato, laboriosa sustinens certamina gloriosam victoriam est adeptus.

Hac nostra tempestate *P. Modestus Arnaus*, Chocoensis Missionarius, pro incolis suis carissimis, hostia morti se obtulit gloriosae.

Sed haec funera longe lateque dispersa indices tantum et velut pignora prophetiae Patris habeantur oportet. Ecce in Hispania exurgit anno 1936 saevitia et effrenata inimicorum Dei immanitas. Tortor stat ferox; verbera, cruciatus, catenas, caedes molitur; coercet, torquet, jugulat, urit saevus carnifex. Obruuntur mille poenis martyres. Proprio sanguine ossibusque distractis, non tantum voce, Deum fatentur. Gaudentes quia pro nomine Jesu et Corde Matris digni habiti sunt contumelias, passiones, mortem quoque pati, Missionarii Claretiani, numero ferme trecenti, martyria adeunt victores. Eorum gloriosa facinora hae minutae peggellae non capiunt. Silere tamen non licet de martyrio *P. Emmanuelis Jové*, huius Commentarii conditoris et clari moderatoris. Qui occasione Beatificationis Antonii Mariae hanc ephemeridem accurata, tereti, numerosa oratione ornavit, quidni ipsius etiam Patris conditoris sanctitatem ornatius et accuratius generoso corporis cruore animique passionibus collustret et quasi rubricet?

3. — MARTYRIUM P. EMMANUELIS JOVE

Dilectus nobis *P. Emmanuel Jové*, vir pius et alacer, benignus, sollers ac prudens religiosarum virtutum exemplar illustris, Vallisbonae in provincia Ilerdensi natus est die 14 sept. anni 1895. Vici in Catalaunia die 15 aug. 1912 vota Deo nuncupavit ut C. M. F.. Caesaraugustae Sacerdos initiatus die 29 maji a. 1920.

Mox per annos sexdecim se Latinis litteris tum in scholis proprii Instituti tum in *Alma Roma, Candidato Latino, Palaestra Latina* eleganti sermone conscribenda et evulganda, religione quadam devinxit.

Anno jam 1936, aderant aestivae feriae, quas ipse faustas et secundas PALAESTRAE LATINAE lectoribus exoptabat. Sed pro dolor! Luporum ad instar, quos fames adurget, scelerata turba loca sacra, ministros Dei, cives frugi adicitur.

Missionarii, qui frequentiores in Universitate Cervariensi, apud Ilerdam degabant, die 21 julii repente, vi illata, abire coacti sunt. Aberat tamen *P. Jové*, nam ante hos paucos dies "Claretianum", rusticam villam, petierat, quo impensius ibi Lexico totius Latinatis daret operam. At in "Claretianum" non paulo post infestissimi hostes minantes pervenerunt, inopia omnium rerum etiam ad victum necessariarum secum trahentes et frigidum horrorem in membra incutientes. Fuga coepta est moliri.

Duo facti greges, alterius dux creatus *P. Jové*, cui additi quattuordecim Scholastici, quos ille in natalem urbem Vallembonam satis longo itinere deduceret. Dei et Virginis Matris praesidia ominantes: "In caelo —inquiunt— una denuo erimus".

Per invia carpunt iter. Appropinquantes Vallembonam —verbis utar Avenarii dulcissimi— in turbam inciderunt militum, a quibus statim comprehensi sunt. Cum magnis vocibus incitarentur ut impia in Deum verba jactarent, contempta spe libertatis, constanter se facturos negabant. Deinde perquirentes Jovaei vestem invenerunt crucem cum Crucifixi imagine. Hanc indigna loquentes ostendunt sacerdoti, ut projiceret in terram. Cum nihil impetrarent, arrepta cruce contundunt caput misero et os, fragentes etiam dentes, donec manans sanguine, sed invicta constantia victor militum ab his, cum quattuordecim pueris trajectus globulis percussus est, in Coemeterio Ilerdensi die 25 julii, anno 1936.

Talem igitur habuit finem Pater Emmanuel Jové, strenuus Latinarum litterarum propugnator, invictus martyr Christi. Ejus memoria sollemniter Vallisbonae celebrata est anno 1939 populorum magna frequentia. Nomen ipsius lapide marmoreo scriptum in natali civitate. In annalibus caelestium triumphatorum ab angelis claris et nunquam delendis litteris scriptum; teste enim Prudentio "scripta sunt caelo aureis expressa signis martyrum vocabula."

JOSEPHUS JIMENEZ, C. M. F.

Salmanticae, mense majo decurrente, a. 1950.



SANCTUS EUCHARISTICUS

Una ex tribus notis in ultimo Decreto Canonizationis laudatis ardens est Beati Antonii Mariae Claret erga Sanctissimum Altaris Sacramentum pietas atque devotio.

Hanc a Sacra Rituum Congregatione ratam veritatem paucis verbis illustrare conabor.

Jam a prima aetate Antonius se exercuit in hac devotione, quam a patre suo —“erga Sanctissimum Altaris Sacramentum devotissimo” (*Autobiografía*, p. 24) -- quasi sacram hereditatem obtinuit.

Librum insuper cui titulus “*Finezas de Jesùs Sacramentado*” prae manibus habuit, illumque magna jucunditate memoriter didicit (*Autob.*, p. 24).

“In sanctissima Eucharistia sub speciebus panis et vini ipsemet Christus Dominus continetur, offertur, sumitur” (can. 801). Tria catholica dogmata quibus tres respondent formae eucharisticae pietatis; visitatio nempe, Missae auditio et sancta Communio.

CONTINETUR

Coram Sanctissimo Sacramento devotissimus semper fuit Claret.

“Nunquam memini me ludisse, vexavisse aut locutum fuisse in Ecclesia. E contra ita eram tacitus, modestus et devotus ut me pudeat primos aetatis annos cum praesentibus comparare, quia —maxima confusione hoc dico— ne nunc quidem adeo fixam habeo mentem, cor adev plenum fervore, ut tunc habebam” (*Autobiografía*, p. 24).

Functiones Sanctissimi Sacramenti ipsi maxime placebant, his aderat devotioe extraordinaria, in iisque perplurimum gaudebat (*Autob.* p. 24).

Cum vitam seminaristicam ageret, singulis diebus, quamvis viae nive essent candidissimae, Sanctissimum Altaris Sacramentum in solemni XL Horarum expositione visitabat (*Autob.*, p. 43). Quam praxim etiam Matriti, dum Confessarii Regii munere fungeretur, et Romae, ultimo biennio suae vitae, piissime conservabat (*Proces. Apost. Matrit. inch. sess. 32; litterae 16 nov. 1869; Proc. Apost. Vic. sess. 116*). Extraordinariam sane visitationem, ab expletis functionibus feriae V in Cena Domini usque ad Missam Praesantificatorum faeriae VI in Parasceve, in Escorialensi Monasterio semel peragisse fertur.

Hanc visitationem, sexies recitando Dominicam Orationem cum Salutatione Angelica et minore doxologia, fidelibus saepe etiam commendabat (*Autob.*, p. 102). Hanc devotionem dicit Deo esse jucundissimam, Seminaristis (et omnibus fidelibus christianis) utilissimam (*El Colegial Instruido*, I XXIV).

OFFERTUR

“Omnibus diebus dominicis et festivis Sacrum audiebam; ceteris diebus cum mihi licebat; diebus festis generatim duas Missas audiebam, lectam aliam, aliam cantatam cui semper cum patre meo interveniebam” (*Autob.*, p. 24).

Cum Barcinone degeret, fabricationi intentus, Missae festivae fuit fidelis, quamvis —ut ipse narrat— “plures mihi essent machinae in capite quam sancti in altaribus” (*Autob.*, p. 33). Die 29 Septembris anni 1829, post Missae auditio-

nem, e patria civitate Vicum petivit, studiorum causa (*Autob.*, p. 42). Vici, singulis diebus Missae inserviebat Oeconomi Bres (*Autob.*, p. 43).

Cum sacris ordinibus fuit initiatus, Missae sollemni interveniebat. In ipso ordinationis Subdiaconi Sacro ipse Epistulam cantavit et neodiaconus Balmes Evangelium, ut ipse sedulo meminit (*Autob.*, p. 48). Primam Missam sollemniter cantavit Sallenti, die 21 Junii 1835 (*Autob.*, p. 49).

In caeremoniarum executione accuratissimus semper fuit. Voluit etiam ut ad exsequendas extraordinarias functiones, uti Ss. Oleorum consecrationem, omnes accurate exercerentur (*Autob.*, p. 178).

“Post Sacrum per horae dimidium mihi quasi extinctus videor. Nihil aliud nisi voluntatem Dei volo. Vita Jesu Christi vivo” (*Autob.*, p. 246).

Cum in itinere maritimo duas tantum Missas liceret celebrare, Archiepiscopus semper primam Missam celebravit, alteram ex ordine unus e sacerdotibus qui eum comitabantur (*Autob.*, p. 171).

Qua praestanti fide animique ardore primum ad aram fecit, eisdem toto vitae tempore sacris est operatus (cfr. *Brev. Roman.* 15 Maji), ut miracula etiam comprobarent. Ipsum fulgoribus splendentem Elisabeth Regina conspexit (*Proces. Ap. Vic. ses.* 102), fervore aestuantem in Sacro Alumni Collegii Pii Latini Americani (*Iris de Paz*, 1919, p. 91) et fratres Conventi S. Hadriani in Urbe (*Proces. Ap. Vic. ses.* 117).

SUMITUR

Vix decennis ad sacram synaxim fuit admissus. “Explicare nequeo quod mihi evenit die illa qua fortunam habui primo recipiendi in pectore dilectissimum Jesum” (*Autob.*, p. 24).

Frequenter semper Sacram communionem recepit (*Autob.*, p. 24), quater in hebdomada, per studiorum curriculum (*Autob.*, p. 43). Dein, sacerdotio auctus, singulis diebus sacrum peregit.

Inter gratias gratis datas Sancto Antonio Mariae Claret ea vel maxima est qua sacrae species in ejus pectore ab una in aliam communionem incorruptae permanserunt. Hoc prodigium Deus ipsi concessit die 26 Augusti anni 1861 (*Autob.*, p. 222), ita ut per novem annos et duos menses, usque ad ipsius mortem die 24 Octobris anni 1870, haec communio fuit continua. Quam gratiam extraordinariam sufficienter innuit (cf. *Ann. Cong.* 1950, p. 304) his verbis Decretum de Tuto: “Tanto animi fervore in Eucharistiam ferebatur, ut haec ejus vita ipsa facta sit, adeo ut Apostolica verba usurpare potuisset: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus” (Gal. 2, 20).

Iamque moriturus, antequam medicos exciperet, voluit sanctis Sacramentis prius muniri (*Proces. Carcas. sess.* 4).

Magna fuit devotio claretiana erga B. Mariam Virginem, sed, ut theologice decet et historice constat, major fuit erga Sanctissimum Altaris Sacramentum (Fernández, II, p. 754): Ad Jesum per Mariam!

P. JOSEPHUS ALVAREZ, C. M. F.



CLARETIANA PROGENIES

Jam ab ipso Legifero Patre ingens Congregationis nostrae —quam Magnum quidem Opus appellaverat—, incrementum fuerat portentum atque praenuntiatum. Ac re quidem vera, quod jam inde ab ipsis velut incunabulis primum haberi coeptum est, quod jam fere a prima institutione maximae curae apud nostrates habitum est, hoc dixerim fuisse, nempe, jugia candidatorum veluti fluenta Congregationi praebere, vel potius ea ipsa eidem admovere fluenta quae, Dei misericordis atque vocantis ope, non parva vi et numero exundare non desinunt.

Parum autem videbatur commodum tempus, dum universae fere Hispaniae nostrae illam rerum turbationem scelesti homines minabantur. Quae tandem evenit, ingentique strage thronus et altaria avulsa sunt, quibuscum optima quaeque projecta jacuerunt. Neque mirum si hujusmodi patriae facies et conspectus multa proposita fugaverat, mutaverat consilia, multos scilicet deterruerat quominus regularem vitam apud nostrates aggredierentur.

Enimvero Rmus. P. Xifré, qui sibi alterius conditoris honorem jure vindicavit, usu doctus, vixdum ex tot tamque gravibus procellis respirare licuit, pro eo ut temporum difficultas tulit, nihilo segnus Collegia, quae *Postulatum* nomine decorantur, stabiliri jussit, eo consilio ut jam a tenero ungui pueri cooptarentur, quorum mentes humanioribus disciplinis, animi vero in vera pietate et religiosis virtutibus certatim seduloque excolerentur.

Quae quidem virtutes, quippe quae neque ali, neque sustentari, sed neque ullum ferre fructum sine seduli ducis moueramine potuissent, vel maxime adhortationibus fulciuntur, ab eo nempe cujus imprimis huic rei maximi momenti pro virili parte incumbere est, quem Praefectum, utpote qui hujusmodi institutioni praeficitur, appellamus, quocum magna consuetudine utuntur adolescentes. Hoc nimirum munus ei Pater Legifer injungens: “Oboedientiam, inquit, humilitatem, modestiam, atque sensuum, passionum, et praecipue voluntatis mortificationem, multum ipsis inculcare.” Sed quo Superiori, et interdum ipsis Magistris, magis laboriosa contentio est, eo magis studio curaque conandum; siquidem non omnis aegritudo una ratione sedatur.

Hanc igitur institutionem ac veluti a prima aetate religiosam disciplinam qui non acceperit, aegre postea accepturum comperimus. Atque ipsis jam teneris annis saepe argumenta prostant fore ut magnis processibus vigeat virtus. Re quidem vera aliquotiens omnia fert aetas, dum rebus in ipsis fulcimine laborat vel inconcussa fides. Nihilominus hoc nihil valet quin plerique ab his incoeptis spirituale iter expeditius auspicientur; quinimmo dicere ausim hinc Congregationi nostrae sacrum robur, hinc vegetiorem concitatumque enasci vigorem. Si quidem divina commoda intuentibus videre licet quo splendore, qua virtute, quibus augmentis succreverit Claretiana progenies. Quae cum ita esse diuturne


atque liquido contrectaverimus, quodque extranei non pauci noverunt, id totum prae laudatae institutioni referendum ducimus. Quod quidem amisuri eramus nisi valide hanc disciplinam, hunc scopum, hanc tenuissemus vitae rationem.

Pauca haec in mentem venerant de nostris minoribus Collegiis quae scribenda putavi (1).

Ad hanc igitur decoram subolem atque novellam respiciendum, dum nobis ante oculos obversatur ille quem conamur perennis atque perpetuus splendor virtutis. Ab hoc veluti fulcimine, nunc et in posterum, suum decorem sumat oportet lucida, splendens, gemmata Claretiana Progenies.

RAYMUNDUS GARCIA, C. M. F.

Segontiae, die 30 m. aprilis, a. 1950.



Servus Dei P. EMMANUEL JOVE
C. M. F., Palaestrae nostrae Latinae conditor ac moderator, qui et
gloriosa martyrii palma
decorari meruit.

(1) Quod si forte lectorem juvabit, hic *Postulatus* omnes qui per orbem extant conspiciendos tradam: In HISPANIA: *Barbastro, Alagón, Segovia, Cervera, Santo Domingo de la Calzada, Castro-Urdiales, Jerez de los Caballeros, Sigüenza*, MÉJICO: *Iojuca*. CHILÉ: *Santiago*. ARGENTINA: *Rosario, Villa del Rosario*. URUGUAY: *Progreso*. BRASIL: *Rio Claro, Esteio*. COLOMBIA: *Bosa, Pueblo Rico*. ESTADOS UNIDOS: *Compton, Momenca*. ITALIA: *Frascati, Galviate*. PERU: *Cochabamba*. ALEMANIA: *Weissenhorn*. CUBA: *Habana*. PORTUGAL: *Termes de S. Vicente*. Quorum summa alumnorum est 1.300 Postulantes.

De Ministerio Docendi in Congregatione Claretiana juxta mentem Sancti Fundatoris

Sancti Antonii Mariae Claret spiritus non tantum magnus fuit, verum etiam quacumque mirandus. Sanctus Pater uno aestuabat flagrante desiderio: "Filiis suis suoque maximo Operi, scilicet Congregationi Nostrae, giganteum ipsius spiritum communicare". Hujus procul dubio spiritus peculiaris character est quidem apostolicus, nam Claretianus apostolatus universalis semper fuit, ideoque et quod ad media et quod ad gentes ac loca nequaquam esse definitus poterit. Quod quidem aperte commonstratur iisdem Sancti Patris verbis in Constitutionibus Congregationis, videlicet: "Ut animarum studeant saluti, adhibeant omnia media sibi possibilissima", "totiusque mundi animarum salutem quaerant". Si ergo sodales Congregationis Filiorum Imm. Cordis B. V. Mariae, juxta Sancti Patris mandatum, omnia media nobis possibilissima, ad totius mundi animas Christo Domino lucrandas adhibere tenemur, nullatenus unum ex aptissimis atque efficacissimis mediis quod in proximorum salute procuranda sollerter seduloque adhibendum est, nempe docendi ministerium, unquam praetermittendum censebimus. Docens apostolatus totus Claretianus est et idcirco Nostrae Congregationis spiritui penitus et aptissime convenit. Prae oculis probatissimum habeo testimonium quod decem jam abhinc annis Adm. R. P. Joannes Postius exaravit. Sententiam nostram ipsius quoque adsertis confirmabo. Quanquam docentem hunc characterem in primitivis Constitutionibus tam anni XLIX, quam LXII Sanctus Pater minime describere voluit, prisci tamen Patres praesertim vero J. Xifré atque Bernardus Sala Vici in celeberrimis illis ad extraneos collationibus sese huic docendi ministerio impigre tradiderunt. Sed et ipse Sanctus Archiepiscopus per se perque suos fidelissimos adjutores Missionarios Barjau et Currius, cet., in Seminario atque Cubanis paroeciis ac serius Matriti, praecipue in Escorialensi Monasterio, ubi audaci sapientique consilio studia renovare et amplificare satagit, hoc docendi munere functus est. Nostro apostolico ministerio docens character adjunctus est primo pro alumnis nostris internis, qui a Sancto Patre Nostro anno LVIII est approbatus. Secundo in Congregationibus Generalibus apud Gratiam (Barcinone) mensibus junio an. LXII ac julio an. LXIV celebratis externorum institutio admissa et probata est. In his igitur Congregationibus de ministerio docendi utpote de negotio maximi momenti actum est et magna utique aestimatione illud Sanctus Fundator suis Missionariis proposuit, ut conspici licet tum in Appendice ad Constitutiones ob capitularia decreta ab Eodem, anno LXII, auctas atque emendatas.

Quas regulas Sanctus Fundator gravissima sua auctoritate, explicavit ac interpretatus est, eo sensu ut, dum adjuncta patiantur, scholae primariae et nocturnae erigantur, Seminaria Conciliaria moderentur immo et nostra studia more universitario Romano instituere adnitamur. Illico hoc docendi ministerium ad praxim redactum est, primitus Vici et Gratiae, ac paulo post in Collegiis Guineae Hispanicae, Tolucae ac Segoviae; denique in Capitulo Generali anno MCMXXII ac tandem in Apostolico *Brevi* "Inter religiosas familias" Pii Papae XI ut proprium quoque nostrum consecratum est. Ultimam vero confirmationem atque sollempnem authenticamque declarationem docens Instituti nostri character a Sacra de Religiosis Congregatione, die undecimo kalendas septembres anni MCMXLVII, accepit,

nam Congregationem Claretianam “inver religiones esse jure meritoque adnumerandam edixit, quae cum magno animarum fructu in ministerio educationis et instructionis, vacavisse et in posterum vacare posse debere”.

Docendi studio, Sanctus Pater semper laboravit, quam ob rem in systemate Prussiano obligatoriae instructionis omnibus oppidis aut paroeciis suae vastissimae Archidioecesis injungendo acriter contendit; Patribus tum Societatis Jesu, tum Scholarum Piarum atque Fratribus Doctrinae Christianae in erigendis collegiis aut in laboribus suis adimplendis opem maximam tulit; consentaneum locum Religioni in omnibus gradibus publicae ac privatae institutionis Legis *Moyano* anni LVIII impertiri consecutus est; ac tandem studiorum ecclesiasticorum et religiosorum reformationem in Concilio Vaticano strenue propugnavit. Indubium quidem est, inter illustriores paedagogos merito Sanctum Patrem praestantissimum locum tenere, tum ob multa opera ab eodem stimulata et confecta, tum ob plurimos libros ab ipso conscriptos, editos atque evulgatos in puerorum et adolescentium utilitatem, ut *El Colegio Insuuido*, *La Colegiala Instruida*, *La Vocación de los Niños*, *La Verdadera Sabiduría*, *El Catecismo Explicado*, cet.

Nostra Congregatio Sancti Patris Fundatoris vestigiis inhaerens eandem viam indefessa peragravit. Ministerio namque verbi divini seminandi semper instans fuit; sed docendi ministerium nequaquam est oblita, siquidem, ut scripsit Rvdms. P. Generalis N. Garcia puls quam triginta Collegia internae formationis et supra centum scholae primariae et mediae institutionis nobis sunt concreditae. Insuper in aliquot seminariis integra directio, in aliis vero partialis, nempe disciplinaria et spiritualis commissa est. Fere quinquaginta ephemerides scientificae ac litterariae et totidem periodica fona veram pietatem atque christianas veritates diffundentia a nostris sodalibus eduntur. Professores etiam e cathedris Universitatum ac Seminariorum lectiones perspicue nitideque dictant; alii autem humilioribus locis atque operosa constantia multa milia puerorum doctrinae christianae imbuunt rudimentis. Filium Cordis Mariae ad omnis generis opera Sanctus Fundator illis Sancti Augustini verbis quottidie compellere videtur: “O, homo, operarius Dei es!” Hac enim exaudita voce omnes, quos oboedientia selegit, studiose dant operam laboribus pergravantibus docendi in Collegiis per universas terrarum plagas disseminatis. Neque vero desunt qui libros probata doctrina conscribant. Multa alumnorum milia omnibus annis e nostris Collegiis exeunt, alii ad studia in Universitatibus Status prosequenda, alii ad sese liberalibus artibus in Superioribus Academiis maturius informandos, alii ad civiles professiones exercendas, alii demum potiore sibi partem eligentes, in vita usque ad mortem religiosi Institutis nomen dantes, Deo veluti suavissimum holocaustum consecrandos. Nunquam in nostris Collegiis alumni defuerunt qui tamquam omnium speculum christianarum virtutum produci possint.

Mirandum profecto est incrementum quod docendi ministerium postremis hisce annis in nostro Instituto consecutum est. Omnes nostrae religiosae provinciae tam in Hispania quam in dissitis Americae nationibus, suorum et Collegiorum et alumnorum, praecipue mediae institutionis, maxime auctum numerum conspexerunt. Difficillimis annis istis transactis; pius quam viginti superioris instructionis Collegia fere septem milibus scholasticorum scientificam et moralem educationem praebentia favente Domino, Claretiana familia crexit. His potissimum de causis Congregatio, intensum atque extensum docentem apostolatatum ubique exercens, summo jure eminentem gradum inter instituta docentia semper merebitur.

GREGORIUS MARTINEZ CABELLO, C. M. F.

Dulce ac placidum in Congregatione mori

I. - Quid maxime studeant homines



Omnes fere homines omnique tempore illud nosse vehementer studuerunt: quid sibi post mortem obventurum; omnes enim aliquam notionem, plus minusve claram, alterius vitae habent.

Christiani vero homines, qui eo quod fidem catholicam teneant, certo alteram esse vitam credunt in qua boni remunerentur et mali aeternis mulctentur suppliciis, tempus cognoscere futurum vehementius et cupiunt et optant. Quam ob rem Decalogi et Ecclesiae praecepta servare nituntur sine quibus aeternam beatitudinem nequaquam assequi possunt.

Verumtamen Dominus noster Jesus Christus, a Summo missus Patre ut genus humanum institueret atque erudiret, aliam praeter communem Christianorum, eamque nobis tutiorem, evangelica quae continetur doctrina, ostendere voluit viam: hinc magna institutorum religiosorum copia, in quae plurimi confluent viri et mulieres rigidioris vivendi rationem quaerentes. Hinc nullibi terrarum homines inveniuntur, qui majore cum fiducia

morianitur habendae aeternae salutis quam in domibus religiosorum.

Neque tamen omnino certa haec spes est. Nullus enim hominum in terris dum versatur, suae aeternae salutis certi scire quidquam potest, nisi Deus antea praedixerit.

Sed aliqui Instituti religiosi hoc sibi proprium habent quod Deus illis in omne vel ad breve tantum tempus omnium sodalium perpetuam beatitudinem promiserit; quorum in numero nostra est Congregatio Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, ut ex his, quae modo dicemus, inferre licebit.

Etenim bonus hominum Pater, Deus, Sancto Legifero Antonio Mariae Claret per Beatam Virginem aeternam salutem pro omnibus suae Congregationis sodalibus promisit qui in eadem Congregatione supremum diem obirent. De hac felici Sancti Fundatoris praedictione quid sentiendum sit, paucis aperiemus.

II. - Testimonia.

Varia sunt testimonia quibus constat Sanctum Patrem Claret vere hoc pro-

missum a Deo acceptum indixisse. Pauca tamen, eaque praecipua ex omnibus, deligemus.

In primis illud praecleari Patris Josephi Xifré nobis memorandum videtur, qui multos per annos Sancti Patris Claret conscientiae moderator exstitit. In Circulari Epistula, quam die 23 mensis Octobris anni 1897 scripsit quamque edidit in Congregationis Annalibus, sic scriptum legimus: "Si fidelitatis jusjurandum ser-
vamus, praedestinationis notissimum signum habemus et revelationem Patris nostri Fundatoris quam ex ejus ore audivimus: "Deus mihi patefecit, inquit, omnes qui in Congregatione usque ad mortem permanserint, salvos fore. Eis vero, qui salvus esse non debeant, Deus auxilia specilia denegabit, et eos a Congregatione egredi aut ab ea expelli sinet".

Neque vero semel tantum Reverendissimus Pater Xifré gratissima haec Fundatoris verba in medium protulit; nam praeclearus meritis Pater Joannes Postius memoriam repetit illius quod in quadam contione ex eo audivit:

"Deus minime patietur ut prophetia nostri Fundatoris irrita fiat, ait; qui in Congregatione permanserit, salvus erit; qui salvus fieri non debeat, expelletur aut ipse egredietur.

Huic Reverendissimi Patris testimonio illud etiam Patris Jacobi Clotet addere juvat; ex multis enim testibus constat eum dicere consuevisse Beatam Dei Genetricem Sanctum Fundatorem pretioso hoc promisso donasse.

Praeter haec maximi ponderis testimonia alia etiam exstant aequalium Sancti Fundatoris quae tamen praetereunda existimamus. Sed de his, quae memoravimus, quid sentiendum sit videamus.

III. Quod sit horum testimoniorum pondus.

Et ut a Reverendissimo Patre J. Xifré exordiamur, quisnam hoc testimonium excipere recusabit cum de viro agatur magno ingenio, singulari virtute ac veritatis amore instructus, qui tot annos Supremus Instituti Moderator exstitit suumque testimonium publico edidit commentario, quo tempore multi supererant Sancti Fundatoris aequalium qui illud negare non modo potuissent sed debuissent? Hoc dicam testimonium maximi ponderis est ut nostram omnem de re expellat dubitationem.

Et quid de Servo Dei Patre Jacobo Clotet? Nemo quidem contemnere testimonium hujus egregii viri audebit, qui ex quinque primis Fundatoris sociis fuit et magna Congregationis munera est exsecutus; qui vivus ore pleno jam sanctus meruit appellari et spirituum discretionem, animi candorem aliisque caelestibus donis ita admirabilis exstitit et ejus Beatificationis canonicum processum Romam jam dudum delatum sit. Quis dubitaverit quod suo, quo praeditus erat erga Sanctum Patrem Claret singulari amore, conscius ab eo fieri caelestis nuntii meruerit?

IV. Quid tandem?

Ex iis, ergo, hoc optime inferendum arbitramur: magnae filiis Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis laetitiae esse quod hoc tam mirum ac singulare donum a Deo habeant, quo placidam vitam degentes et mori possint confidentius et perennibus in Caelis perfrui gaudiis.

JESUS ASPA, C. M. F.

Vallibus, V Kal. majas, a. 1950.

TEXTOS PALAESTRA

GRAFICAS CLARET :: LAURIA, 5 :: BARCELONA (ESPAÑA)

<i>Jiménez,</i>	Latin 1.º (2.ª edición)	12 ptas.
"	Historiae Sacrae Compendium (3.ª edic.)	5 "
<i>Jiménez,</i>	Latin 2.º (2.ª edición)	25 "
"	Repetitorium (Libro de prácticas)	15 "
"	Epitome Historiae Graecae (4.ª edición)	6 "
<i>Ramos,</i>	Corneli Nepotis Vitae	5 "
<i>Mir,</i>	Ciceronis Epistulae Selectae	4 "
<i>Jiménez,</i>	Caesaris de Bello Civili (2.ª edición)	6 "
"	Ciceronis pro Archia pœta	4 "
"	Ciceronis in Catilinam	4 "
<i>Martija,</i>	Vergili Aeneidos (libro 2.º)	6 "
<i>Mesa,</i>	Sallusti de Conjuratone Catilinae (2.ª ed.)	10 "
<i>Mir,</i>	Nova et Vetera	20 "
<i>Pianque-Planas,</i>	Gramática Griega	36 "
<i>Jiménez,</i>	De Orthographia Latina	6 "
<i>Martija,</i>	Prudenti Carmina Selecta (2.ª edición)	5 "
<i>Sarmiento,</i>	Martialis Epigrammata	4 "
<i>Mesa,</i>	Titi Livi Historiae Selectae	8 "
<i>Zuluaga,</i>	Horati Carmina Selecta	6 "
<i>Ruiz,</i>	Homeri Odyssea (Primer canto)	10 "
<i>Ramos,</i>	Xenophontis Anabasis (Primer libro)	12 "